



• S • G • B • T • B •



• 1 • 6 • 6 • 1 •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





40  
COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO VII.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICVLI VI.

DE QUÆSTIONE

An Præceptum illud ma-  
gnum, Diliges Deum tuum to-  
to corde tuo, &c. servari possit.

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergenſi

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

ANDREA HINCKELMANNO

Onoldino Franco.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 18. Aprill.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.



COLLEGIUM TERTIUM  
In Augustanum Contestationem

Ad Proceptorum Illud ma-

JACOBO MARTINI S.S. Th.

ANDREA HILCKELMANN

Typis Maxceduni 2 ALOMONIS ABRABACH, ACCL. Typogr.  
Anno M DC LXX







D. O. M. A.

*Continuatio.*



Emonstravimus disputatione præcedente, Becanum, licet in ipso omnes omnium Sophistarum atomi confluerint, nulloque fallendi artificio pepercerit, nihil minus tamen fecisse, quàm quod probaverit, præceptum hoc longè difficillimum: *Non cõcupisces;* servari posse in hâc vitâ: sequitur nunc præceptum illud magnum: *Diliges Deum tuum toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & totâ fortitudine tuâ;* quod isti immediatè subjicit adversarius Jesuita; idque servari posse, & à multis servatum esse probare satagit: quo verò successu, mox videbimus. Sic ergo §. 29. pergit Becanus:

T H E S I S I.

*Nunc de hoc altero videndum est: Diliges Deum ex toto corde tuo.* Et quidem Calvinus ait, non posse impleri in hâc vitâ. Catholici contrâ statuunt. Et probant exemplo Davidis & aliorum Sanctorum, qui illud servarunt. Psal. 118. 10. *in toto corde meo exquisivi te.* Et 3. Reg. 14. 8. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum est in conspectu meo.* Et 4. Reg. 23. 25. *de Josiâ; similis illi non fuit ante eum Rex, qui revertetur ad Dominum in toto corde suo, & in totâ animâ suâ, & in universâ virtute suâ juxta omnem legem Moysi.* Et rursus Ecclesiastici 47. 10. *de Davide.*



De omni corde suo dilexit Deum. Hic aperte vides, Davidem & Josiam dilexisse Deum ex toto corde, juxta præceptum Decalogi. Nec dubium, quin idem fecerint Abraham, Moyses, Samuel, Helias, Eliseus, Jeremias, & alii Propheta: Et in novo Testamento B. Virgo, Apostoli, Stephanus, Timotheus, Titus, & alii non pauci, præsertim cum de his prædictum sit, Deut. 30, 6. Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in totâ anima, ut possis vivere.

II. Initiò tenendum est, illo ex Deut. 6. v. 5. allegato mandato Dominum plenam, perfectam, & undiquaq; completam consummatamque dilectionem sui super omnia, & tanquam compedio tabulam primam legis Moralis complecti: & Christum, quando illud contra Phariseos allegat Matt. 22. v. 37. nō tantum in summam charitatis Dei tabulam illam redigere: sed etiam inculcare hujus mandati severitatem, illud *primum & magnum* nominando: nempe quia tūm ipsa res & materia mandati summa sit, tūm quia ex illo omnia alia fluant.

III. Dilectio autem ponitur pro toto cultu seu conjunctis & omnibus partibus, ut sunt vera agnitio, timor, fiducia & similes: quæ totum hominem, & omnes ejus vires vi hujus mandati requirunt.

IV. Matthæus pro voce *viribus*, quæ apud Moysen est, subjicit *diavoiar*, quæ etiam Marcus usus est, quæque vim simul intelligentem, & motus sive cogitationes ejus notat. Marcus paulò post pro *diavoiar* ponit *σύνεσις*, cujus eadem est vis. Deindè *cor* in sacris literis plerumque ponitur pro animâ rationali, cujus ibi sedem, vel omninò principalem officinam esse putatum est. Si autem per *diavoiar* intelligas *mentem*, tūm per *cor* affectus significabuntur. Totâ autem animâ, usitato hebraismo significari videtur tota vita, ut sic perpetuum continuumque amorem Dei flagitet. Per *totas vires*, quod Moyses & Marcus habent, intelliguntur simpliciter tūm omnes potentiæ rationales, tūm adjunctæ proximæ affectuum & interiorum sensuum facultates, tametsi Hebræum *בְּכָל-מְדַעְךָ* *becol-meodecha*, potius sonet, *in toto valdè tuo*. Ariomontanus vertit, *in totâ vehementiâ tuâ*. Vatablus pro *omni virili tuo*: id est, intensissime, ut non tam  
vidca-



videatur speciem aliquam potentiarum animæ addere, quam gradum summum ac intensissimum amorem: in quo nullus omnino defectus sit, sed omnibus numeris & sic absolute perfectus.

V. Atque in istis consistit illa, quam Christum inculcare diximus, mandati hujus severitas, ut moneat Salvator, requirere legem totum hominem, omnes vires & facultates, internas & externas, animæ & corporis, & quidem in summâ & absolute perfectione, sicque simul indicet, neminem præstare posse, ideoque alium, qui eam pro nobis præstet, quærendum esse.

VI. Non igitur tantum Calvinus, sed Lutherus quoque negavit, ullum hominem, Christo excepto, hanc legem servasse, vel implere potuisse, aut adhuc posse. Hanc enim legem qui servat ac implet, is totam legem implebit: Totam autem legem nemo implere potest in hac vitâ. Qui enim implet legem, is sine peccato est: At nemo hominum est sine peccato, 1. Joh. 1. v. 8. 9. 10. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confitemur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, nos non peccasse, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.* Jacob. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes: Ecclesiast. 7. v. 21. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

VII. De hisce locis audiatur Gregorius Magnus super Ezechielem hom. 22. *Quis in hac vitâ valeat per fidem sine culpâ vivere, cum Johannes dicat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos seducimus, & veritas in nobis non est? Cujus verbus Jacobus concordans ait: In multis offendimus omnes.* Et ne hæc interpretarentur Sophistæ de leviculis, atque, ut vocant, venialibus peccatis: *Si, inquit, peccata præterita in fidei perceptione dimissa sunt, & adhuc post fidem in peccata declinatur, que nobis erit presumptio justitiæ, que spes vitæ permanentis?* Atque ex iisdem fundamentis dixit Lutherus, *In omni opere bono justum peccare.* Itaque omnia bona opera esse totidem peccata venialia: & venialia quidem, non naturâ suâ juxta definitionem Papisticam, sed misericordiâ Dei.



VIII. Quod autem attinet exempla allegata illorum, de quibus dicit Beçanus ac probare conatur, quod legem Dei, & quidem hoc primum & magnum præceptum, servaverint: non nos, sed pro nobis respondebit Augustinus de perfectâ justitiâ, sic scribens: *Idem quod dicit (scilicet Job, de quo loquitur) vias ejus custodivi, & non declinavi à mandatis ejus, neq; discedam,* ( qui locus à Pelagianis objiciebatur, ad probandam justitiæ perfectionem in hâc vitâ, ne forsan Papistæ sibi imaginentur, ipsis solis aut primis Sophistices palmam deberi: illis itaq; respondet Augustinus) *Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit, & si aliquando ut infirmus offendit aut titubat, proficit autem minuendo peccata, donec perveniat, ubi sine peccato sit; non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem à mandatis Domini, atq; discedit Apostata, non ille, qui, etiamsi habeat peccatum, constigendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eò perveniat, ubi nulla cum morte contentio remanebit. Quæ sanè satis clara sunt. Ut & illa, quæ leguntur lib. I. Retract. cap. 19. Merito queritur, utrum ista perfectio sic possit intelligi, ut tamen verum sit, neminem jam utentem voluntatis arbitrio hâc vivere sine peccato. A quo enim usq; ad unum apicem lex perfici potest, nisi à quo sunt universa divina mandata? sed in iisdem mandatis est etiam, quod jubemur dicere; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, quam orationem usq; ad finem seculi tota dicit Ecclesia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quando, quicquid non sit, ignoscitur.*

IX. Nullo hîc opus commentario: cum verba sint diserta, & sententiæ perspicuæ ac claræ, Jesuitis & Pontificiis in omnibus contrariæ. In specie itaque, quod David dicit Psal. 119. v. 10. *Toro corde quæsi vi te;* eo sanè nequaquam perfectam sibi tribuit obedientiam, qualem in hoc præcepto lex divina flagitat; sed opponit sinceritatem suam hypocriticæ & Pharisæicæ simulationi, quam Dominus damnat Es. 29. 13. *Populus hic labiis honorat me, cor autem illorum procul est.* Non ergo loquitur de eo perfectionis gradu, quem lex postulat, sed quem fert infirmitas illa, cum quâ luctandum est fidelibus, adeò ut tum quis intelligatur totâ animâ amare, cum, quod ei ad hanc perfectionem voluntatis deest,



deest, per Dei misericordiam condonetur. Et sanè manifestum hoc est in Davide, qui etiamsi quæsiuisse dicatur Deum toto corde suo: tamen 1. Reg. 15. v. 5. cum laudatur, quod non declinasset ab iis, quæ præceperat ei Dominus, statim additur, *Excepto sermone Vria*, hoc est, adulterio & homicidio: quæ sanè declinatio satis magna fuit. Et certè exceptioni huic locus esse non potuisset, si rigidè illud intelligendum esset de toto corde.

X. Atque hinc rectè Augustinus docet, dupliciter dici *ex toto corde*: vel omnino sive omni modo: vel secundum quid. Quorum id futurum in cœlis est; istud verò in hâc vitâ. Sic enim scribit de perfectione Justitiæ ad ratiocinat. 17. *Tûc erit justus sine omni omnino peccato, quia nulla lex erit in membris ejus, repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, totâ animâ, totâ mente diligit Deum, quod est primum summumq; præceptum.* Et paulò antè: *Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodò tota animâ diligitur Deus.*

XI. Consentit Hieronymus de Davide loquens 3. *Contra Pelagianos: Exempli gratiâ, inquit, uno tantum utamur testimonio: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. David sanctum esse non dubitatum est, & tamen qui electus est, ut omnes Dei voluntates faceret, aliqua fecisse reprehenditur. Vtiq; possibile erat ei facere, qui ad hoc electus est, ut omnes Dei voluntates faceret. Nec Deus in culpâ est, qui prædixit, eum cunctas suorum præceptorum facere voluntates, sed ille, qui prædicta non fecit, neq; enim dixit, invenisse se virum, qui cunctas in perpetuum suæ justitiæ faceret voluntates.*

XII. Ex utriusque igitur & Augustini & Hieronymi adductis sententiis quis tam stupidus ac stolidus, ut non intelligat, propositiones illas & commendationes Sanctorum non sic *πῶδας* esse intelligendas, ut nulla omnino admittatur exceptio? Ille enim ex totâ quidem animâ; sed non omni modo: Hic omnes quidem voluntates, sed non in perpetuum.

XIII. Idem responsum esto ad alterum dictum de Josiâ allegatum. Excipit quidem Bellarminus: *Nemo tam imperfectè observans mandatum, ut mortaliter peccet, & dignus sit propter id odio & irâ Dei & supplicio sempiterno, potest dici absolute implere mandatum Dei.*



Dei: Atqui David & Josias dicuntur implere absolutè mandatum Dei: Ergo hi non possunt dici tam imperfectè implevisse mandatum Dei, ut mortaliter peccaverint &c. Verùm quis Sophistis concederet minorem? Quomodo enim David potest dici absolutè servasse mandata Jehovæ, qui adulterium & homicidium commisit? Certum est, quod peccavit, & quidem mortalitèr, proindeq; dignus fuit odio & irâ, ut ipsemet fatetur Psal. 51. v. 13. *Ne proicias me à facie tuâ: & nihilominus is ipse dicitur secutus Deum toto corde.* Perinde ac de Asâ quidem dicitur, quod cor ejus fuerit perfectum cum Jehovâ omnibus diebus 1. Reg. 15. v. 14. Præmittitur autem eodem versu, quod excelsa non sustulerit. Sic Josaphat commendatur, 2. Paral. cap. 17. v. 3. quod Jehova cum ipso fuerit, propterea quod ambulavit in viis Davidis patris: grande tamen ejus peccatum notatur 1. Reg. 22. v. 4. & 2. Paral. 19. v. 2. *An impio decuit te ferre opem, & osores Iehovæ diligere? & propter hoc super te ira à facie Iehovæ.* Et ibid. cap. 20. v. ult. *Quia societatem iniisti cum Ahaziabu, dissipavit Iehova opera tua. Et confractæ sunt naves, & non valuerunt ire in Tharsis.*

XIV. Pergit Becanus S. 30. Porro, ut res tota clariùs percipiatur, explicandum est, quis sit sensus illius præcepti, quo jubemur diligere Deum ex toto corde. Sic enim facile constabit, an servari possit nec ne. Potest autem triplex esse sensus. Primus, ut diligamus Deum ex toto corde, id est, ut totum cor nostrum, quantum quantum est, in eo solo diligendo occupetur, nec aliud amemus aut diligamus, quàm ipsum. Hoc sensu non præcipitur Dei dilectio, alioqui non liceret proximum diligere, quod tamen facere jubemur. Alter est, ut diligamus Deum ex toto corde, non quod totum cor nostrum in eo diligendo debeat occupari, sed quod tanto conatu in eum ferri debeat, quanto fieri potest. Nec hoc sensu præcipitur: quamvis si præciperetur, servari posset. Quis enim dicat impossibile sibi esse, diligere Deum tanto conatu, quanto diligere eum potest? Tertius est, ut diligamus Deum ex toto corde, id est, ut diligamus eum super omnia, ut præferamus illum rebus aliis, ut nullius rei amorem Dei amori anteponamus, ut nullius creature timore vel amore, velimus Deum offendere, & ab illius amore recedere. Hic verus ac germanus sensus est. Hanc expressit Apostolus Rom. 8. 39. *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, id est, nulla poterit efficere, ut ei postponamus dilectionem Dei.* Et Christus Matt. 10. 37. *Qui amat patrem*



erem aut matrem plus quam me, non est me dignus, id est, qui amorem parentum praeferat amori Dei, non diligit Deum super omnia. Unde è contrario, qui amori parentum (qui in filiis solet esse maximus) praeferat amorem Dei, convincitur diligere Deum super omnia.

XV. Distinctionem hanc impugnare nolumus: ultrò concedentes in lege non prohiberi, alia quoq; praeter Deum diligi. Quia satis est manifestum mandatum alterum simile huic: *Diliges proximum sicut teipsum*, Matt. 22. v. 39. Luc. 10. v. 27. Interim certum est, in quo purissimus est Dei amor, quem lex haec exigit, illum vel in ipso proximo Deum diligere. Amor enim ille primum ascendit in Deum; ac in ipso reflexus in proximum derivatur, ipsumq; comprehendit, atque id unice & tantum propter Deum, à quo amor ille descendit & derivatus est, ut ita hic rursus ac ultimò in ipso Deo terminetur.

XVI. Deindè probamus, quod alteram explicationem Becanus rejiciat. Non enim Lex divina tantum id à nobis exigit, quod possumus, sed etiam illud, quod posse debebamus.

XVII. Tandem & hoc concedimus, nihil esse amandum contra Deum, nihil supra Deum, nihil æquè cum Deo: Omnia ergò infra Deum & propter Deum. Verum non haec tantum collatio Dei cum creaturis est in præcepto hoc magno: sed includit insuper amorem divinum in se consideratum. Nam oportet ut collatio ista absolutum quoddam fundamentum habeat, nempe hoc ipsum: quod Deus sit simpliciter amandus. Quia enim amor intèdi potest & remitti, ac propterea sub summo varii dari gradus inferiores; sanè nihil obstat, quò minus amor non sit summus, qui tamen non sit infimus. Quocirca poterit Deus plus amari quam omnia reliqua, quæ sunt extra Deum, ut tamen non ametur ita prout debet. Hinc licet quis omninò Deum super omnes creaturas, imò super omnia, quæ sunt, amet, non tamen indè ἀποδεικτικῶς potest concludere & scire, se Deum ita, ut decet & lex requirit, amare: Idq; indè, quia qui sic amat Deum, non statim sufficienter & in eo gradu excellentiæ, quem requirit lex, amat.



XVIII. Quis ergo verus sensus sit hujus præcepti li-  
quet. Nam licet verum sit, quod concludit Becanus, *ejusmodi  
amorem præceptum hoc postulare, quo diligamus Deum super omnia,  
ut præferamus illum rebus aliis, ut nullius rei amorem, Dei amori an-  
teponamus ut nullius creaturæ timore vel amore velimus Deum offen-  
dere, & ab ejus amore recedere.* Licet, inquam, hæc omnia requi-  
rat hoc præceptum, tamen non tantum hoc, sed adhuc aliquid  
amplius five majus: nempe ut non tantum Deum amando om-  
nibus creaturis præferamus, & ut nobis videtur, omni cona-  
tu amemus; sed etiam oportet, ut amor hic sit in tantæ perfe-  
ctionis summo gradu, ut omnibus numeris absolutus sit, abso-  
lutæ Dei bonitati absolutè respondeat, conjunctusq; cum simi-  
li obedientiâ absolutè perfectâ, quæ nullo unquam concupi-  
scentiæ pravæ aut alterius peccari, licet nobis minimum videat-  
ur, nullo maculata sit. Hic est genuinus sensus.

XIX. Quæ cum ita sint, concludimus, neminem un-  
quam in hac vitâ ita amasse Deum, ut debuit: non tantum ab-  
solutè, sed etiam relatè, hoc est, qui non Deum minus dilexerit,  
quàm diligì debebat, comparatè ad se: & non aliquid in aman-  
do prætulit Deo. Si enim verum est, ut est, illud Augustini;  
*quamdiu concupiscit caro adversus spiritum, minus amari:* Et hæc  
pugna in hac vitâ semper durat: utiq; perfectus amor hic non  
dabitur. Quare neq; Pauli, ut nec Christi, multò minus Abra-  
hami testimonium nobis obstabit: ut quilibet modò sensu sal-  
tem communi præditus sit, facilè videt ac intelligit.

XX. Addit Becanus testimonium Augustini, quod à  
nostris allegari solet, sic pergès §. 32. *Sed objicitur Augustinus in lib.  
de spiritu & literâ, cap. ult. & in lib. de perfectione justitiæ Resp. 17. ubi  
ait, hoc præceptum non posse impleri in hac vitâ, sed in aliâ. At prompta  
est Responsio. Nam duo nititur ostendere Augustinus, quæ verissima  
sunt. Vnum est, præceptum illud, Diliges Deum ex toto corde, & ex to-  
tâ animâ, & ex totis viribus, posse quidem impleri in hac vitâ, quoad  
obligationem quam inducit, non tamen quoad verba, quibus proponi-  
tur. Alterum est, in hac vitâ non tam perfectè diligì Deum, quàm in  
alterâ, quod probat hæc ratio. Dilectio supponit cognitionem. In  
hac*



*hac vitâ cognoscimus Deum obscure per fidem, in alterâ clarè per visionem: Quid ergo mirum, si in hac vitâ minus perfectè, in altera perfectius Deum diligamus? Hanc esse mentem Augustini, ex ipso textu colligitur. Nec in minimo nobis repugnat.*

XXI. Primùm negamus distinctionem illam, inter obligationem legis, quam inducit, & verba, quibus proponitur. Quandoquidem, quem sensum verba proponunt, illum etiam, lex habet: At sensus ille est imperativus, *diliges Deum tuum &c.* & proponitur ab eo, cui talem debemus obedientiam, qualis imperatur: Ergo sumus obligati obedire ejus mandato, ei que perfectam obedientiam præstare & satisfacere: si verò non possumus, aut alium quærere, qui nostro loco illud impleat illiq; satisfaciat, vel æternam damnationem experiri.

XXII. Hæc itaque quia sunt extra omnem controversiam certissima, nullâ ratione, imò nullo quidem jota ex allegatis locis probare poterit, Augustinum ita distinguere, ut fingit Jesuita, multò minus ostendere, quod in hac vitâ Lex divina impleri possit quoad obligationem. Quia potius contrarium ibi docet, quando *lib. de Spirit. & lit. cap. 36.* sic scribit: *Scriptum est: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et illud: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Et illud: quia non est homo, qui non peccabit. Et illud: Non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Vtrumq; enim hoc testimonium non de præterito dicit, id est, peccavit, sed de futuro, id est, peccabit: Et si qua alia in hanc sententiam sancta scriptura commemorat. Sed quoniam hæc falsa esse non possunt, illud esse consequens video, ut qualem libet vel quantam libet in hac vitâ potuerimus definire Justitiam, nullus in ea sit hominum, qui nullum habeat omninò peccatum &c.*

XXIII. Notetur, quod dicat Augustinus, *nullum esse hominem in hac vita, qui nullum omninò habeat peccatum.* Ergo omnis homo quamdiu in hac vitâ est, habet peccatum: Undè sic argumentamur: Quicumq; in hac vitâ non potest non habere peccatum, ille neq; potest legem Dei implere quoad obligationem, quam inducit: Atqui nullus homo justus non potest non ha-



bere peccatum: Ergo nullus homo justus potest legem Dei implere quoad obligationem, quam inducit.

XXIV. Major est certissima. Nam qui habet peccatum, peccat non contra verba tantum legis, sed contra ejus obligationem, quam intendit. Nam vi legis obligamur ad obedientiam: Qui autem peccat, non præstat obedientiam: Is verò non præstat obedientiam, qui non facit, quod mandatum, & sic ad quod vi legis obligatus est: quia autem hoc non facit; non implet legem in hac vitâ, quoad obligationem, quam inducit. Minor est Augustini: Ergo Becanus falsam mentem ipsi affingit.

XXV. Deinde omninò distinguit Augustinus inter dilectionem Dei, quâ ipsum pii diligunt in hac, & inter illam, quâ diligunt in altera vita. Et quod distinctio illa certa ac rata sit, probat ex cognitione, quæ in hac vita est imperfecta, perfectè autem cognoscemus Deum in altera æterna. Verùm quâdo Augustinus ita disputat, eone vel concedit vel expressè dicit, dilectionem in hac vita perfectam & tantam esse, quantam præceptum illud magnum à nobis requirit, & nos obligat? Nequaquâ: sed potius contrarium docet. Sic enim statim ab initio hujus capituli differit: *Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum, tanquam teipsum. Quid verius, his impletis impleri omninò justitiam? Veruntamen qui hoc attendit, etiam illud attendat, quàm in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere, quod facimus: & posteaquam per scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cum didicerimus, quod ei non placeat, penitendo deprecamur, ut ignoscat.*

XXVI. Ex quibus verbis manifesta est mens Augustini, quod non velit nos tantum ad id obligari à lege divina, quod cognoscimus: sed tantum doceat rationem & causam proximam, cur in hac vita perfectam obedientiam præstare non possimus, esse hanc, quod non perfectè cognoscamus. Illam autem imperfectam cognitionem, vel etiam imperfectionem justitiæ in nostris operibus, quæ illam proximè sequuntur, non esse peccatū, tantum abest, ut asserat, ut planè contrarium innuat, quando  
monet,



monet, non tantum nos attendere debere, quid mandetur præcepto, sed etiam & præcipue summam nostram imperfectionem agnoscere, per quam in multis offendamus, in quibus nobis videmur Deo placere: proindeq; pœnitendo remissionem peccatorum petere teneamur. Non ergo in minimo tantum, sed per omnia, & in omnibus Augustinus Jesuitis repugnat.

XXVII. Deinde benè notandum est, quod Becanus concedat dilectionem Dei in hac vita esse imperfectam, in æterna vita esse perfectam. Sic ergo disputo: Lex Dei, & quidem magnum illud præceptum, aut in hac vita est perfecta, nempe perfecta justitiæ Dei regula: aut imperfecta. Si illud sequitur, quod dilectio imperfecta, qua Deum in hac vita diligimus, sit in vitio seu peccato: quippè non per omnia congruit cum sua mensura & regula. Si est imperfecta. Tum congruere quidem potest dilectio hujus vitæ: sed lex est mutata. Atqui hoc impossibile est: Ut enim Deus non mutatur, sic neq; lex justitiæ divinæ regula. Quare licet homo per lapsum mutatus sit; lex tamen, ut antè lapsum erat vera: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* sic post lapsum mansit vera, cum vita & status hominis pravi contrarius nihil in lege & justitia divina mutare potuerit. Perfecta ergo lex Dei etiam in hac vita nobis est tradita; imperfecta verò nostra dilectio: Quod autem Deo nihilominus sit accepta, id non ex eo, quod cum lege congruat perfectè, vel ei satisfaciat: sed quod ejus imperfectio regatur perfectione, hoc est justitia Christi.

XXVIII. Pergit nunc Becanus §. 33. & demonstrare cōtendit, Totam legem Decalogi servari posse. Disputationē itaq; hanc his verbis orditur: *Ex dictis facile demonstrari potest, totam legem servari posse ab homine justo. Primò, quia si duo præcipua præcepta, quæ videbantur omnium difficillima, servari possunt, cur non etiam reliqua? Secundò, quia qui diligit Deum ex toto corde, præfert illum omnibus creaturis, nec intuitu ullius creature vult illum offendere: Ergo servat omnia illius præcepta, quia si vel unum non servaret, jam illum offenderet. At homo justus potest illum diligere ex toto corde, ut probatum est, ergo potest omnia illius præcepta servare. Imò si proprie*



loquamur, hæc duo, amare Deum ex toto corde, & mandata Dei custodire, re ipsa idem sunt, vel certè alterum cum altero necessario connexum. Fieri enim non potest, ut quis diligat Deum ex toto corde, & non servet omnia ejus præcepta. Hinc in scripturis ferè semper conjunguntur, ut Exodi 20, 6. Faciens misericordiam his, qui diligunt me, ut custodiãt præcepta mea. Et Deut. 10, 12. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi tu diligas eum in toto corde tuo, & custodias mandata ejus. Et cap. 10, v. 1. Ama Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus. Et Iosue 22, 5. Ut diligatis Dominum Deum vestrum, & observetis mandata illius. Et Christus Iohan. 15, 10. si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Et alibi sepè.

XXIX. Primum verum est, qui duo illa præcepta præcipua servat, illum servare totam legem. Sed hæctenus demonstratum esse à Becano, hominem justum illa præcepta servare, Deumq; ex toto corde diligere posse, pernegamus: Contrarium enim manifestis rationibus & argumentis ad oculum ostendimus: uti etiam illud, si vel maxime aliquis Deum super omnes creaturas diligeret, inde tamen non statim sequi, illam dilectionem esse perfectam: cum tantum dicat dilectionem, quæ superet omnium creaturarum dilectionem: non verò talem, quæ sit in absoluta perfectione. Deinde amare Deum ex toto corde, ut à nobis explicatum est, & perfecte servare mandata Dei, vel planè idem sunt, aut certè alterum cum altero necessario coheret. Sed quid hoc ad malam causam Becani?

XXX. Pergit ille ad exempla §. 34. Quid multis? Scriptura aperte testatur, quosdam totam legem custodivisse; ut 3. Reg. 14, 8. Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo. Et Luc. 1, 6. de Zacharia & Elisabetha: Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini, sine querela. Et Iohan. 17, 6. de Apostolis: Tulerant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt. Quis neget idem fecisse B. Virginem, S. Stephanum, Timotheum, & non paucos alios?

XXXI. De Davidis exemplo modò egimus th. 9. 10. 11. 12. 13. De Zacharia & Elisabetha pro nobis respōdebit Augustinus lib.



nus lib. 2. de peccatorum meritis & Remission. c. 13. Nam de Zacharia & Elisabetha, qui nobis sæpè in hujus questionis disputationibus objiciuntur, quid dicamus, nisi quod evidentè scriptura testetur, eminenti justitiæ fuisse Zachariam in principibus Sacerdotum ad offerenda Veteris Testamenti sacrificia? Legimus autem in Epistola, quæ ad Hebræos inscribitur, solum Christum esse principem Sacerdotum, qui non haberet necessitatem, sicut illi, qui Sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primùm offerre peccatis quotidie, deindè pro populo. In hoc enim numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, à quo iste ordo exorsus est, fuit, & quicunq; alij in illo sacerdotio laudabiliter justeq; vixerunt, qui tamen habebant necessitatem sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cujus vè-turi figuram gerebant, qui hanc necessitatem sacerdos incontaminabilis, non haberet. Quid autem de Zacharia & Elisabetha laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, cum in Christum nondum credidisset, professus est? Dixit enim se secundum justitiam, quæ in lege est, fuisse sine querela, hoc est de illis ita legitur. Erant enim justii coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Quum ergò quicquid in eis erat justitia, non erat ad homines simulatum, idè dictum est, ante Deum.

XXXII. Et post pauca, cum docuisset Paulum habuisse suam justitiam pro detrimento & stercoreibus. Tantùm ergò, inquit, longè est, ut propter illa verba Zachariam & Elisabetham sine ullo peccato credamus perfectam habuisse justitiam, ut nec ipsum Apostolum ad ejusdem regule summitatem arbitremur fuisse perfectum. Videatur idem Augustinus lib. de perfectione justitiæ, ubi hæc breviter contra Celestinum repetit. Hæc autem tam clara sunt & manifesta, ut nullo omninò commentario indigeant.

XXXIII. Christi verba quod attinet, inconvenientissimè allegantur. Quandoquidè in illis nihil agitur de lege, vel ejus impletione, sed potius de Evangelio, quod Christus è sinu æterni patris nobis revelavit. De illo dicit, ejus revelationem, non frustrâ fuisse apud fideles & electos, cum sermonem illum non tantùm audiverint, sicut multi alij, sed servaverint etiam & custodiverint in bono corde: quiq; multiplicem fructum apud ipsos



iplos attulerit aperiendo Patris & sui Christi cognitionem, qua agnoscat, omnia, quæ ipsi dederit pater, à patre quoq; esse: hoc est, doctrinam, quam ipsis tradiderit, ipsius Patris esse, ab illo sibi demandatam.

XXXIV. Mariam virginem non esse peccati immunem probatu facile est. r. Quicumq; homo non excipitur à communi hominum naturà, ille est obnoxius peccato, tum originali, tum actuali. Maria mater Dei non excipitur à communi hominù natura: Ergo Maria mater Dei est obnoxia peccato tum originali tum actuali. Major est extra controversiam vera. Rom. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnes in contumacia, ut omnium misereatur.* Gal. 3. v. 22. *Cōclusit scriptura omnia sub peccatū, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Rom. 3. v. 10. *Non est justus, ne unus quidē.* Sic de actuali peccato. 1. Reg. 8. v. 46. *Non est homo, qui non peccet.* Rō. 3. v. 4. *Omnis homo mendax.* Jacob. 3. 2. *In multis labimur omnes.*

XXXV. Minor quoq; probatur. Non enim est cōcepta à Spiritu S. sed, ut cæteri homines, naturaliter à parentibus prognata. Nam ipsimet Pontificii ex veteri quâdam traditione, cujus etiam Irenæus meminit, ejus parentes, Joachim & Annam nominant.

XXXVI. Idem sentiunt Patres: Tertullianus de Carne Christi c. 16. *Sic in illa (carne) peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur: quæ in homine sine peccato non habebatur.* Augustinus de Nuptiis & Concupiscentia lib. 2. c. 5. *Servatum est, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers etiam est hujusmodi conceptionis.*

XXXVII. Deinde probatur idem tali argumēto: Quicumq; per Christi mortē salvantur, illi sunt peccato obnoxii: At Maria virgo per Christi mortem salvatur: Ergo Maria virgo fuit peccatis obnoxia. Major est certa. Marc. 2. v. 17. *Is, qui valent, non opus est Medico, sed ijs, qui male affecti sunt.* 1. Corinth. 15. v. 3. *Christus mortuus est pro peccatis nostris.* Gal. 3. v. 13. *Christus redemit nos ab exactione legis, dū pro nobis factus est execratio &c.* Minor probatur Luc. 1. v. 47. *Magnificat anima mea Dominum, & exultat spiritus meus super Salvatore meo, &c.* Et faterur illud ipsemet Bellarminus lib. 4.



lib. 4. de amissione Gratię c. 16. Inter Catholicos convenit, beatam Virginem per Christi sanguinem verè fuisse redemptam, & quod Paulus ait, Christum pro omnibus mortuum esse, 2. Cor. 5, 15. sine ulla exceptione esse accipiendum.

XXXVIII. Dum verò hæc fatentur, distinguunt, & dicunt dupliciter hominem servari posse, vel curative vel præservative. Sic namq; loquuntur, & explicant ac probant exemplo Medici. Verùm nulla est necessitas, ut credamus hic similitudinem quandam esse inter Christum & Medicum. Figmentum est recens natum in cerebro Jesuitico, quod nullo modo vel ex scripturis vel orthodoxâ antiquitate probari potest. Scriptura contradicit: *Sanis*, inquit, non est opus medico, sed *is οἱ κακῶς ἔχοντες*, ut Matthæus, Marcus & Lucas loquuntur. Cui autem persuadebunt Jesuitæ κακῶς ἔχοντες appellari illos, in quibus plena est sanctitas.

XXXIX. Audiant & Augustinum sermone 10. de verbis Apostoli: *Nullus hominum in istâ, quæ ex Adam defluit massa mortali, nullus omninò hominum non ægrotus, nullus sine gratiâ Christi servatus.* En disertè, nullum non ægrotum, nullum non sanatum. Et Paulus inquit, *traditum esse justum pro injustis, nō pro justis præservandis.* Nā injusti non tantum præservatione indigēt, sed & curatione: Cum injusti sint spiritualiter κακῶς ἔχοντες & ægroti. Sed de hæc quæstione suo loco fusius! Si autē Maria Mater Domini non fuit sine peccato: Ergò omninò quoq; peccato fuerunt obnoxii Stephanus, Timotheus, & cæteri quotquot sunt Sæcti.

XL. Pergit ad argumenta Becanus §. 35. Et sanè si lex impossibilis esset, neq; servari posset, cur eâ Deus Optimus Maximus nobis imponeret? Cur clamaret Christus *Matt. 11, 30. Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve?* Cur Apostolus *1. Joh. 5, 3. Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt?* Cur Propheta David de seipso, *Pf. 118, 32. Viâ mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum?* Cur alius Propheta in omnibus justis *Ezech. 36, 27. Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Certè ex his & similibus patet, legem Dei non modò possibilem esse, sed etiam facilem & jucundâ is, qui gratiâ Dei adjuvantur. Blasphema igitur vox Calvinii in antidoto *Conc. Trident. Sess. 6. c. 12. cum ait: Prophetas &*

C

Patriar-



Patriarchas, & pios Reges, utcunq; Dei Spiritu adjuvarentur, ferendo legis jugo pares non fuisse. Quid hoc aliud est, quàm palàm pronuciare, omnia Scriptura testimonia jam citata esse falsa? Et Spiritum Sanctum non posse hoc efficere per dona gratiæ in cordibus justorum, ut legi satisfaciant? Multò alitèr Apostolus ad Philip. 4, 13. Omnia possum in eò, qui me confortat. An hìc regeret Calvinus, mentiri Apostolum, & debuisse dicere, Non possum omnia in eo, qui me confortat, quia legem servare non possum? Apage.

XL I. Respondemus primùm legem non esse conditam post hominem lapsum, sed esse æternam & immotam sapientiã divinam digito creatoris adhuc in statu integritatis hominum animis insculptam, ac sic primitus revelatam, quãdo eam optimè servare homo potuit. Postquam verò lapsus est, & imaginẽ Dei viresq; legem Dei servandi amisit, non propterea, quod ipse mutatus esset, hæc immota Justitiæ regula mutari vel potuit vel debuit, sed in se constans & immota permansit, ut fuit ante lapsum, à Deo repetita, & inculcata post lapsum, in hunc finem, ut ex eã nobis esset cognitio peccati Rom. 3, v. 20. ut esset noster pædagogus ad Christum Gal. 3, v. 24. ut norma esset bonorum operum.

XL II. Deindẽ Christum per jugum suum intelligere onus legis, falsum est. Siquidem nihil illud aliud est, quàm unã cū Evangelio sancta ejus crux, sive afflictio cuique Christiano homini juxta voluntatẽ Dei imposita. Quia igitur salutare, ideò suave jugũ, aut religio Christi est. Leve autem est hoc jugum, quia ipse pro nobis satisfecit, ipse dat velle & posse, incipit & perficit, in ipso omnia possumus, ipse deniq; non patitur nos tentari supra quàm ferre possumus, nec nos de suã manu rapi. Imò tantũ abest, ut hìc agatur de lege, vel ejus impletione, ut latentèr conferratur jugum Christi leve cum importabili jugo Mosis Act. 15.

XL III. Tertiò quod attinet dictum ex. 1. Job. 5. allegatũ, tenendum, quod in illo & præcedentibus & proximè subsequentibus agat Apostolus de fructibus regenerationis, nẽpè dilectione Dei tũm gignẽtis, tũm geniti, itemque proximi, hoc est, ejus, qui ex gratiã & adoptione filius Dei est, ut & observatione præceptorũ Dei & victoriã adversus mundũ. De observatione igitur præceptorũ Dei allegatis verbis monet, nẽpe quod  
hæc



hæc sit charitas Dei, ut præcepta ejus observemus, h. e. Deus tū demū nostram in se dilectionē pro verā acceptat, si sanctis præceptis ipsius obediamus. In sequentibus verò pergit & occupatione objectionē Christianorum pervertit, qui obtendere potuissent; si tū demum censebimur charitate in Deum præditi, quādo præcepta ejus custodiamus; utiq; nemo erit certus, quod Deum diligat; cum præceptorum hæc sit conditio, quod impleri à nobis nequaquam possint.

XLIV. Ad tacitam hanc objectionem respondet Apostolus, *præcepta ejus gravia nō esse, nēpē quorum summa hæc est, ut credamus in ipsum, habentesq; remissionē peccatorum in nomine ejus.* Atq; hinc est, quod lex nos non onerare possit amplius: sed omnia suavia & salutaria sunt: cum lex moralis nostro loco per Christū impleta sit; Ceremonialis verò, quæ erat in decretis sita, sit penitus abrogata: ideoq; à renatis & dilectis filiis suis nō exigat illā absolutam perfectionem charitatis, quā Moses exigit: verū ejusmodi præcepta præscribat, quæ regeneratis gravia non sunt: nēpē dat illis perentibus Spiritū S. *Luc. 11.* cujus beneficio ac virtute, nō servili obsequio juxta vetustatē literæ, sed libero ac spontaneo spiritu Deo serviunt *Rom. 7.* Quā obediētiā inchoatā pater noster cœlestis contentus esse dignatur propter filium, Dominum nostrum Jesum Christum, quippē qui residuum defectum plenitudine & obediētiā suā supplet.

XLV. Quartò ad dictum *Pf 118.* vel potius *119.* suprā in Collegio secūdo de justificat. disp. 18. solenni th. 174. sufficienter respondimus: nec est cur actū agamus. Quod verò attinet illud *Ezechielis 36. v. 27.* nihil inibi contra nos. Quandoquidē omnes renati & filij Dei Spiritu S. vires suppeditate in præceptis Dei ambulāt, illaq; pro virili ac mensurā Spiritūs custodiunt & servāt: indē autem non statim licet inferre, quod legem Dei in hęc vitā perfectē impleant: sed ut custodiant illā & faciāt in hęc vitā inchoativē; in alterā verò futura & æterna completivē & perfectē: Hoc autem & similia dicta omnia intelligenda sunt cum differentia hujus & futuri seculi.

XLVI. Quintò igitur concedere possumus, legem Dei Electis filiis Dei & possibilem esse, & facilem jucundamq;: Nō



verò sensu pontificio, quod ipsi habituali aliqua & inhærente  
justitia, operibusq; perfectè bonis ei satisfacere, & sic jugū legis  
ipsi portare possent. Id enim disertè negat Petrus *Act. 15.* Sed sen-  
su Spiritus S. Quia enim Christus legi Dei pro nobis satisfecit,  
eiq; obedientiam plenariam & absolutè perfectā præstitit, fide-  
les imputativè dicuntur satisfacere legi Dei, quatenus per fidē  
ipsis reverà obedientia illa Christi legi præstita, imputatur. De-  
indè quia in iisdem habitat Spiritus S., dicuntur etiam inchoa-  
tivè legē Dei implere; quatenus nimirum non quidē ex propriis  
viribus, sed ex gratia & operatione Spiritus S. inchoant præsta-  
re obedientiam legi: quæ verò quia imperfecta est, utiq; neq; ex  
parte, neq; ex toto legi satisfacit: siquidem qui in uno deficit, o-  
mnium præceptorum reus est, *Jacob. 2. v. 10.* placent nihilominus  
Deo propter Christum.

XLVII. Undè consequentè electis filiis Dei non am-  
plius mandata Christi gravia sunt, quia non amplius gravantur,  
& premuntur sententia maledictionis: sed suavia sunt & jucun-  
da, quia non cum molestia, sed, ut diximus, prompto & spontaneo  
spiritu obsequia sua legi accommodent, idq; inde: quia mādāta il-  
la nō considerant in se, ut sunt mandata Mosis, qui obedientiā  
omnibus numeris perfectā postulat: sed pensitant ea, quatenus  
jā sunt mandata Christi, Evangelio condita: Qui à nobis nō exi-  
git obedientiam omnib. numeris absolutam & consummatam,  
sed inchoatam etiam acceperat, & quicquid illi imperfectionis  
adhæret, obedientiæ suæ imputatione tegit & supplet.

XLVIII. Non ergo blasphema & sic ipsius Diaboli, sed  
vera & scripturæ per omnia consentanea, proindeq; ipsius Dei  
vox est, qua dicitur; *Prophetas & Patriarchas & pios Reges, utcunq; spi-  
ritu Dei adjuvarentur, ferendo legis jugo pares non fuisse.* Id enim Spiri-  
tu S. actus Petrus dixit *Act. 15.*

XLIX. Multò minùs, cum ita statuimus, sequitur indè,  
*omnia scripturæ testimonia à Becano jam modò citata, & à nobis resoluta,  
esse falsa: sed hoc per firmam consequentiā efficitur, Becanū cum  
suis fraterculis similem esse Sadducæis scripturā nescientibus.*

L. Neq; alterum absurdum ex nostra assertione infertur;  
*nēpè Spiritum S. non posse hoc efficere per dona gratiæ in cordibus justorū,  
ut legi*



ut legi satisficiant. Si enim quæstio est de absoluta potentia, negamus illud. Quandoquidem contrariū manifestum est in sanctis post hanc vitam: qui ut perfectè regenerati, sic quoq; perfectè iuxta legem Dei vivere possunt. Quod autem Spiritus S. ejusmodi perfecta opera in nobis viventibus in hoc seculo nō producat, ratio est, non quia non possit, sed quia non velit. Non verò vult: quia nō vult immediatè, sed per homines operari: Ut ergo homines sunt, ita quoq; opera: quippè quæ proximæ suæ causæ ingenium præ se ferunt: cū effectus non possit esse præstantior sua causa. Quia itaq; perfecta in hac vita non est nostra regeneratio, proindeq; vitiosa caro & concupiscentia prava filiis Dei adhæret, quamdiu in terris hisce vivunt: Cum ergo Spiritus S. ut diximus, non immediatè illa opera faciat, sed agat in nobis, ut nos illa præstemus, & sic mediatè, fit, ut propter vitium nostrum perfecta esse non possint.

L I. His ita explicatis & stantibus verum manet, quod dicit Apostolus Phil. 4, v. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Nihil ibi agit de impletione legis; sed reduplicativè verba illa sunt intelligenda, ut sit sensus; *Omnia quæ possum, non possum ex me, & meis viribus, sed in Christo, qui me confortat.* Quod concordat cum verbis 1. Cor. 15, v. 10. & 2. Cor. 3, v. 5. *Non idonei sumus ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquā ex nobis ipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est.* Multis de dicto hoc egimus Coll. 2. disp. 18. solenn. de Justif. th. 175. Atq; sic mendacii nequaquam accusatur Paulus, sed pessimè mentitur Becanus.

L II. Qui pergit §. 36. *Sed pressius ad rem.* Cum lex Decalogi contineat decem præcepta; querā ex Calvino, an omnia & singula; an aliqua duntaxat sint impossibilia? Scio dicturū, duo hæc potissimū servari nō posse: *Diliges Deum ex toto corde, & Non concupisces.* Sed de his seorsim jam egi. De reliquis quero, sintnè possibilia, nec ne? Negat in antidoto, loco citato, cū ait: *Minimum legis mandatū onus esse Aetnā gravius.* Quid? Nemo ergo iustorum non homicida est? Nemo non fur & adulter? Nemo non falsus testis? Absit. Multi commendantur in scripturis, qui ab his vitis fuerunt immunes. Quis audeat dicere, Josephum, Patriarcham & Susannam fuisse adulteros, qui tam fortiter pro castitate pugnârunt? Quis Apostolos fuisse fures, qui etiam propria reliquerunt? Quis Evangelistas fuisse falsos testes, qui testandæ



veritati deputari sunt. Dicet, opinor, Calvinista quispiam eos externo opere non fuisse tales, sed tamen animo & cogitatione; sed quisquis hoc dicit, metitur alios suo ingenio: Et sicut ipse plenus est dolo, irâ, fraude, nequitia, pravis cupiditatibus; sic alios omnes esse malitiosè consingit. Sanè Christus in Evangelio, cum dicebat, justitiam Christianorum debere perfectiorem esse, quam fuerit Justitia Pharisæorum, hoc agebat, ut non tantum externo opere servemus mandata legis, sicut Pharisæi servabant, sed etiam interno affectu & proposito. Vndè volebat discipulos suos, non tantum non occidere, sed nec irasci: non tantum non mœchari, sed nec mulierem concupiscere. Et quis neget eos cum Dei gratiâ prestare id potuisse?

LIII. Sic ergo disputat ab absurdo: si nulla præcepta Decalogi possunt servari, nemo justorū non est homicida, non fur, nō adulter, non falsus testis &c. sed hoc absit. Ergo prius erit absurdū. Negamus consequentiam majoris propositionis. Nā non omnis qui peccat contra præceptum quintum, sextum, septimū & octavum est homicida, est adulter, fur aut falsus testis: Quandoquidē qui sic propriè denominantur, externis suis operibus cōtra dicta præcepta enormitèr peccarunt, ut homicida propriè is dicatur, qui manu suâ proximū occidit: adulter, qui fidē matrimonii fefellit: fur, qui aliena bona furto tulit: Falsus testis, qui falsum testimonium contra proximum perhibuit. Verūm non tantum externa illa opera prohibentur illis præceptis, sed etiam vitiosæ inclinationes, quamvis consensus non accedat, cupiditates malæ, licet non prorumpant in externa opera.

LIV. Sic Christus Matt. 5. v. 27. 28. *Audivistis, inquit, quod dictum fuerit antiquis: Non cōmittes adulteriū. Ego verò dico vobis, quod quicumq; aspexerit uxorē alterius ad concupiscendam eam, jam adulterium cum eâ cōmisit, in corde suo.* Et ibid. v. 22. docet Christus, quod non tantum, qui manu occidit fratrē, sed etiam qui eī temerè irascitur, peccet contra quintum præceptum. Becanus potuit quidē innocens esse ab homicidio, sed non ab irâ, ab excandescentiâ, alio vè vitio contra hoc præceptum pugnante, proindeque illud perfecte non servavit. De cæteris idem iudicium.

LV. Concedimus ergo libentèr, multos in sacris literis cōmendari, qui ab enumeratis externis vitiis fuerint immunes, ipsos autē nullo alio modo contra præcepta illa Decalogi non peccasse, indè non statim probatur. 56. Po-



LVI. Potuerunt enim omninò Sancti peccare, non tantùm animo & cogitatione, ut ait Becanus, sed etiam vitiosis suis inclinationibus, quales continentur in peccato originis, quod propterea omnibus legibus Decalogi est adversum. Ponamus ergo Sanctos Dei homines, ut Mosen, Mariã, Apostolos, Patriarchas & similes, immunes fuisse ab omni omninò peccato actuali & interno, quoad cogitationes, & externo quoad mala opera, (quod interim vel ipsimet de se ipsis nunquã statuerunt) nò tamen fuerunt sine peccato originis: proindeque hujus respectu sine exceptione omnes toto Decalogo, & omnibus ejus præceptis tenebantur.

LVII. Atq; hoc non dicimus nostro alios metientes ingenio, sed ipsimet sancti se peccatores agnoverunt, & fassi sunt. Sanè Daniel nò tantùm populum in captivitatem Babylonicã abductum, sed se quoq; omniũ delictorum, quib. illud meriti fuerant, reum agnoscit, *c. 9. v. 5. & seq.* Maria Filium suum agnoscit, & celebrat Salvatorem suum *Luc. 1. v. 47.* & eo ipso se inter peccatores Salvatore indigentes numerat. David conqueritur, quod in peccatis sit conceptus & natus, *Psal. 51. v. 7.* Et *Psal. 25. v. 18.* petit, ut Deus velit parcere omnibus peccatis suis. *Psal. 32. v. 5.* dicit, quod peccatum suum notum fecerit Deo, & iniquitatem suam nò operuerit. & addit: *Confitebor adversum me prævaricationes meas Jehovæ &c.* Item *Psal. 38. v. 4. 5.* *Non est pax, inquit, ossibus meis propter peccatum meum. Quoniam iniquitates meæ transierunt caput meum, sicut onus grave graviores fuerunt me &c.* Conferatur *Psal. 39. v. 9. Psal. 40. v. 13. Psal. 51. v. 11. Psal. 65. v. 4. Psal. 130. &c.*

LVIII. Cæterum, quod Christus *Matt. 5. v. 20.* dicat, *Justitiam Christianorum debere perfectiorem esse, quàm fuit Justitia Phariseorum,* omnes scimus. Sed quæritur, quæ sit illa perfectior justitia, & quomodo debeat esse cõparata. Perfectò justitia illa debet cõplecti integram, perfectam & consummatam legis impletionem. Quãdoquidẽ sententia hæc Christi, *Nisi abũdaverit justitia vestra &c.* æquipollet sententiæ illi Mosaicæ *Deut. 27, 26. Maledictus omnis, qui nò permanet in omnib. quæ scripta sunt in volumine legis:* proindeq; facillè concedimus, Christum hoc agere, ut non tantùm externo opere serventur mandata Dei, sicut Pharisei tradebant & servabant, sed



sed etiam interno affectu & proposito: imò, addimus nos, tota animi ac virium internarum omnium conformitate.

LIX. Vetùm perfectam hanc impletionem legis in nobis dari posse, quando sibi imaginatur, ac alios docet Becanus cum suis Jesuitis, in magno errore sunt. Quandoquidē illa extra nos in Christo per fidem unicè quærenda est. Quamobrem Apostolus Paulus operum illam justitiam tanquam ad salutem cōparandam inutilem, & ociosam pro quisquiliis & stercorebus reputat, *Phil. 3. v. 8.* ut altera illa regnet & valeat, quæ est per fidem Jesu Christi. Sic Judæi, qui justitiam operum sectabatur, ad veram coram Deo valentem justitiam non pervenerunt; & dum quærebant propriam constituere justitiam, justitiæ Dei nō fuerunt subditi, *Rō. 9. & 10.* E contrario verò gentes, quæ justitiā non sectabantur, justitiā apprehenderunt, sed eā, quæ est ex fide, *Rō. 9.*

LX. Quando ultimò concludit, *neminem negare posse, omnes vitiosas inclinationes ab Apostolis fuisse.* Respondemus negasse illud Apostolos ipsos & factis & verbis. Sanè Christus cum discipulis versans hisce in terris, fratres eos appellavit; & sic haud dubiè regeniti, qui tamē erroribus crassissimis non caruerunt: Regnū enim Christi mundanū somniabant & fovebant hanc opinionē usq; ad mortem Christi: qui sua spe se frustratos opinabantur, quando Emauntici Viatores communē Discipulorum opinionem produnt *Luc. 24.* Et Petrus etiam si Christum antea confessus fuerat Filiū Dei vivi, nihilominus postea ab ancilla leviter tentatus, eum abjuravit. Et quod stupēdum est, idē Petrus etiam visibiliter perfusus Spiritū S. cultus legis necessarios & vocationem incircumcisorum immūdā imaginabatur. *Act. 10.* Quamvis etiam tūm coelitus de errore admonitus esset, omnem tamē non omisit, quando ad *Gal. 2. v. 14.* legimus, eum propterea reprehensum à Paulo, cujus sententia gravissima hæc est, quod Petrus non inceserit recto pede ad veritatē Evangelii, quia gentes coegerit judaizare. Et Apostolus Paulus conqueritur *Rom. 7. v. 15.*

*Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, illud facio.* Falsum ergo est Apostolos legem Dei perfectè servasse, vel illud sibi tribuisse.

**SOLI DEO GLORIA.**



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092



SB

Repro

VD 77











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TERTII  
Confessionem

ARTICULO VII.

tenens

ARTICVLI VI.

ESTIONE

um illud ma-

Deum tuum to-

c. servari possit.

posita

ademia VVittebergensi

S I D E

MARTINI S.S. Th.

Primario, Facult. Theol.

pli Arcis Praeposito,

NDENTE

NCKELMÄNNO

ino Franco.

Collegii Veteris

m 18. Aprill.

EBERGÆ,

NIS AUERBACH, Acad. Typogr.

M DC XXX.